DE PONTIFICUM COLLEGII PONTIFICISQUE MAXIMI IN RE PUBLICA POTESTATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CONSTANTINUS SCHWEDE

DRESDENSIS.

LIPSIAE

TYPIS C. G. NAUMANNI.

MDCCCLXXV.

Optimo jure viri docti contenderunt, Italicis hominibus anxietatem quandam in curandis rebus divinis infuisse, quae a Graecis aliena fuisset. Quae nimia deorum cura cum ex caerimoniis permultis tum praecipue e duobus Italorum moribus cognosci potest. Primum enim, si qua res major gerenda erat, deorum voluntatem diligenter exquirere solebant, deinde autem res varias et multiplices pro prodigiis habebant, quibus caelestium iram declarari credebant. Qui universae gentis Italicae mores Romanis non deerant. Constat enim, in eorum re publica et auspiciorum ut ita dicam contortum institutum a principio fuisse et sacerdotum magna collegia, inprimis augurum atque pontificum jam veterrimo tempore floruisse. Non solum flamines singulis diis, sed etiam pontificum collegium Romani instituerunt, quod sacris omnibus praeesset et omnia quae in rebus divinis curandis dubia visa essent suo arbitrio dijudicaret; non solum regibus (et qui eorum vices sustinent interregibus) jus auspiciorum dederunt, sed etiam augures instituerunt, viros omnium rerum ad augurium pertinentium gnaros, qui illis assisterent. Quin etiam prodigia curantes eo diligentiae Romani processerunt, ut libris Sibyllinis inspiciendis duumviros (postea decemviros et quindecimviros) deligerent, ac tantum aberat, ut in cura deorum quidquam omitterent, ut et Etruscos haruspices et interdum etiam oraculum Delphicum consulerent. Itaque quamvis civitate libera constituta magistratuum potestas a jure sacrorum plane sejuncta esset, tamen fieri non potuit, quin sacerdotes in re publica administranda multum valerent. Sacerdotibus sane non erat potestas exercendi leges[1]), ut ait Mommsenus (Römisches Staatsrecht Bd. II. S. 16), sed magistratibus quasdam res majores sine illorum consensu gerere non licebat. Ac praecipue pontificum collegii consilia decretaque

[1]) „im Gemeindewesen ohne formelle Gewalt“.

sequi eos oportebat; collegio autem ei „pontifex maximus“ praesidebat, cujus tanta erat vel potentia vel auctoritas vel potestas, ut Festus eum judicem atque arbitrum rerum divinarum et humanarum jure posset appellare. Magna enim pars potestatis illius rerum divinarum infinitae, quam prius reges obtinuerant, in pontificem maximum delata erat.

Qualis et quanta fuerit pontificum eorumque praesidis in re publica administranda auctoritas nunc nobis quaerendum erit. Quamquam permulta quae jam diu a viris doctis exposita sunt, repetenda erunt, tamen quaestiones nostras propterea non inutiles fore spero, quod me eo duxerunt, ut Mommseni sententiis nuper in libro qui inscribitur „Römisches Staatsrecht“ explicatis non nusquam certis ex caussis contradicendum esset. Praeterea ad res nonnullas de quibus non dubitatur accuratius exponendas quaedam afferam.

Institutum esse pontificum collegium a Numa Pompilio rege scriptores veteres consentiunt.[1])

Apparet igitur ex sententia Romanorum collegium illud mandato regio jus et potestatem accepisse iisque temporibus, de quibus literae certa nobis tradunt, jam diu exstitisse.

Quot principio pontifices fuerint, liquido dicere non possumus. Livius in libro primo c. XX[2]) non de collegio loquitur, sed de pontifice *κατ' ἐξοχήν*, i. e. de pontifice maximo, Cicero autem in librorum quos de republica composuit, secundo c. XIV quinque pontifices fuisse narrat ac de praeside illo collegii prorsus tacet.

---

[1]) Cic. de rep. II. 14, 26: Idemque Pompilius ... sacris e principum numero pontifices quinque praefecit. Cic. de orat. III. 19, 73: sed ut pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti...

Liv. I. 20: (Numa) pontificem deinde Numam Marcium M. f. ex patribus legit. [cf. de vir. ill. 3.]

Dion Halic. II. 73: *τελευταῖος δ' ἦν τῆς Νόμα διατάξεως μερισμὸς ὑπὲρ τῶν ἱερῶν, ὧν ἔλαχον οἱ τὴν μεγίστην παρὰ Ῥωμαίοις ἱερατείαν ἔχοντες· οὗτοι κατὰ μὲν τὴν αὐτῶν διάλεκτον ἐφ' ἑνὸς τῶν ἔργων ὃ πράττουσιν, ἐπισκευάζοντες τὴν ξυλίνην γέφυραν ποντίφικες προσαγορεύονται.*

cf. Plut. Numa c. 9. Zosim. IV. 36. Serv. ad Aen. III. 80.

[2]) cf. I, 32. II, 2.

Etiamsi quinque pontificum numerus cum triplici veteris populi Romani distributione (in Ramnes, Tities, Luceres) minime consentit, tamen, cum nihil aliud obstet, fidem Ciceroni habendam esse censeo. Sane quattuor tantum pontifices legis Ogulniae tempore (a 454/300) fuisse Livius narrat[1]), sed sine dubio facile potuit accidere, ut pontificis unius morte ad eum numerum collegium redigeretur. Quod ipse Livius intellexit, qui de augurum collegio scripsit: „quemadmodum ad quattuor augurum numerum nisi morte duorum id redigi collegium potuerit non invenio". Praeterea etiam prius quam Cn. Domitii Ahenobarbi lege sacerdotum comitia annuis magistratuum comitiis apponerentur, interdum factum esse constat, ut sacerdotia aliquamdiu vacua manerent. Ita ut exemplo utar, in locum pontificum eorum qui proelio Cannensi ceciderant non prius quam exeunte anno novi suffecti sunt.[2])

Quod si Livium sequemur, qui lege Ogulnia sacerdotum numerum ita auctum esse tradit, ut quattuor pontificibus, quinque auguribus de plebe adlectis octo pontifices et novem augures essent, facere non poterimus quin pontificum numerum a principio uno minorem quam augurum fuisse censeamus.

Neque id postremo omittendum est, quod Cicero in oratione de haruspicum responso habita[3]) nobis refert: „quod tres pontifices statuissent, id semper populo Romano, semper senatui, semper ipsis dis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est."

Inde enim sequi videtur, ut tres pontifices antiquo tempore majorem collegii partem expleverint.[4])

Quod multi dixerunt, regem cum idem omnibus rebus divinis et humanis praeesset, in collegio pontificum sedisse et ita Tarquinio expulso ad quattuor sacerdotum numerum collegium redactum esse[5]) minime probaverim. Nec Mommseno assentiar, qui sex initio pontifices fuisse eorumque numerum lege Ogulnia ad novem auctum esse putat[6]). Quae defendens eo nititur quod Bardtius docuit[7]),

---

1) Liv. X, 6

2) Liv. XXIII, 21. — cf. XXXIII, 42; XXVI, 23. — XXVII, 6; XXVII. 36

3) VI, 12.

4) v. Lange, Röm. Alterth. I² S. 320.

5) V. Bouché-Leclercq, Les Pontifes de l'ancienne Rome. Paris 1871. p. 9.

6) R. S. II. S. 20. A. 1 u. 2.

7) C. Bardt, Die Priester der vier grossen Collegien. Berlin 1871.

indices sacerdotum sexti ab urbe condita saeculi quos apud Livium legimus, novem pontificum loca (quattuor patriciorum, quinque plebejorum) ostendere. Sed ipse Mommsenus concedit, intra annos 454/300 et 536/218 denuo pontificem unum (ex plebe) facile posse additum esse, ac jure addit: eo fortasse tempore quo septendecim tribuum comitia pontifici maximo creando instituta sunt.

Quod si ita se habet, minime coacti sumus ut id quod Livius perspicue narrat et saepius repetit,[1]) octo pontificum numerum lege Ogulnia institutum esse, falsum habeamus. Sin autem fidem Livio habendam esse censuimus, fieri non potest, quin quinque, non sex pontifices principio sacris praefectos esse statuamus. Nam si sex fuissent, quam causam fuisse putabimus, cur non totidem pontifices quot augures plebeji ex plebe adscribi vellent, cur non in utroque collegio majorem locorum partem occupare studerent?

Sulla lege Cornelia de sacerdotiis „pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim,"[2]) tum Caesar sextum decimum addidit locum[3]), postremo a. 725/29 Octaviano infinita data est licentia, ut suo arbitrio quot vellet sacerdotes adlegeret.

Utrum jam regum temporibus praeses collegio pontificum fuerit, ut Livius putat,[4]) an libera demum re publica constituta creatus sit, ut vult Mommsenus,[5]) ea de causa inutilis quaestio est, quod praeses ille, quamdiu reges summae rerum praefuerunt, nullo modo majorem quam ceteri pontifices potestatem habere potuit. Rex enim, non pontifex sacerdotes legit, regi, non pontifici jus fuit multandi illos.[6]) Esse potest, ut maximus pontifex antiquo tempore pontifex aetate maxime provectus dictus sit (maximus =

---

1) X, 6, 6—7; 8, 3; 9, 2.

2) Liv. ep. 89.

3) Dio Cass. XLII, 51, 4: *τοῖς τε γὰρ ποντίφιξι καὶ τοῖς οἰωνισταῖς, ὧν καὶ αὐτὸς ἦν, τοῖς τε πεντεκαίδεκα καλουμένοις ἕνα ἑκάστοις προςένειμε.* cf. Dio Cass. XLIII. 51, 9.

4) cf. I, 20. I, 32 et praecipue II. 2: id sacerdotium (scil. eo tempore institutum sacerdotium regis sacrorum) pontifici (h. e. maximo) subjecere. Semper de pontifice *κατ' ἐξοχήν*, i. e. de pontifice maximo Livius loquitur.

5) Röm. Gesch. 5. Aufl. I. S. 255.

6) Cic. de rep. II. 9, 16. 14, 26. Liv. I. 20. Dion. Halic. II. 64 sq. Hic exempli gratia de Vestalibus dicit: *αἱ δὲ θεραπεύουσαι τὴν θεὸν παρθένοι τέτταρες μὲν ἦσαν κατ' ἀρχὰς τῶν βασιλέων αὐτὰς αἱρουμένων ἐφ' οἷς κατεστήσατο δικαίοις ὁ Νόμας.* cf. Dion. Halic. III. 67. Plut. Numa X. Zonar. 7, 8.

natu maximus!) Qui fortasse collegii consiliis praesidebat neque tamen potentia collegas antecedebat. Sane scio, apud Festum[1]) esse: „maximus pontifex dicitur, quod maximus rerum quae ad sacra et religiones pertinent judex sit vindexque privatorum magistratuumque.“ Sed nemo facile dubitabit quin haec explicatio ex ea potestate petita sit quam pontifex maximus post reges exactos demum habuit. Quocunque autem modo haec res se habet, id unum inter omnes constat, praesidem collegii permagnis potestatibus illis, de quibus auctores veteres verba faciunt, non prius quam liberata re publica ornari potuisse.

Jam supra commemoratum est regni temporibus a regibus pontifices lectos esse. Regibus autem expulsis jus cooptandi collegas pontificibus datum est. Quae delectus ratio per complura saecula valuit. Sed postquam populus pervicit, ut pontifici maximo creando interesset (v. infra p. 43) anno 609/145 C. Licinius Crassus tr. pl. cooptandi juris vim diminuere conatus est.[2]) Rogationem ergo promulgavit, qua cautum est, ut nominatione candidatorum aut ab uno aut a pluribus pontificibus facta quem septendecim tribuum comitia jussissent, is a collegio cooptaretur. Cui legi nobiles quos in re publica administranda sacerdotum collegia magnopere adjuvabant[3]), vehementer reluctati sunt; ac profecto C. Laelii auguris eloquentia periculum quod imminuit collegiis propulsatum est. Nec vero in longum tempus, cum a. 650/104[4]) Cn. Domitius Ahenobarbus legem perferret, qua omnia quae Licinius voluerat consecutus est. Primum enim pontificum, augurum, decemvirorum collegiis imperatum est, ut eum quem populus jussisset cooptarent,[5]) deinde autem ei vel iis qui candidatos nominabant, praescriptum, ut in contione jurejurando obstringerent se optima fide nominasse[6]). —

---

1) ep. p 126.

2) Cic. Lael. 25, 96. (Brut. 21, 83, de nat. deor. 3, 2, 5. 17, 43) — Quod apud Livium legimus (XXXIX, 45) jam anno 570/184 comitia auguris creandi habita esse Gemollius (De cooptatione sacerdotum Romanorum, Berolini 1870 p. 11) librarii alicujus errori jure tribuisse mihi videtur.

3) Cic. pro Sest. 46, 98.

4) Ascon. p. 81. 651/103 Vell. II. 12.

5) Cic. de leg. agr. II. 7. Suet. Ner. 2. Vell. II. 12.

6) Cic. Brut. I, 1, 1. Schrift ad Her. I, 11, 20. Cic. Phil. II, 2, 4. — Duplicem nominationem, primam in collegio alteram in contione jure statuit Gemollius (p. 14) docuitque ad hanc referendam esse illam legem qua vetitum erat ne quis a pluribus quam a duobus nominaretur (Cic. Phil. II, 2, 4.)

Non ita multo post Sullae lege Cornelia de sacerdotiis lex Domitia sublata est, quoad Caesar ut pontifex maximus crearetur, a. 691/63 T. Atium Labienum adduxit ad promulgandam rogationem qua lex Domitia restitueretur. Quo facto populus Caesari gratias agens pontificem maximum eum creavit.[1] — Quamdiu reges imperium Romae obtinuerunt, pontificibus nulla fere nisi curandi sacra potestas fuit. Quare Livius (I. 20) eam solam his verbis exposuit: „(Numa) ei (Numae Marcio pontifici) omnia sacra exscripta exsignataque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subjecit, ut esset quo consultum plebes veniret, ne quid divini juris neglegendo patrios ritus peregrinosque adsciscendo turbaretur, nec caelestes modo caerimonias, sed justa quoque funebria placandosque manes ut idem pontifex edoceret, quaeque prodigia fulminibus aliove quo visu missa susciperentur atque curarentur.“ Quae Cicero confirmat scribens (de rep. II. 14, 26): „sacris e principum numero pontifices quinque praefecit“ et alio loco (de legibus II, 8, 20): divisque ollis[2]) sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto.

Sed a sacris fastorum cura sejungi non potuit. Quin omnino cautum erat Numae institutis, ut scirent pontifices quibus diebus sacra fierent. Quamobrem verisimile est pontifices jam regum temporibus fastos curasse; sed proposuit eos populo rex, neque prius quam deleto regno fieri potuit, ut feriis in singulos menses indicendis pontifices in re publica multum valerent. Jure enim fastos proponendi ad collegium delato, quia anni Romani CCCLV dies alternisque mensem intercalarem aut XXVIII aut XXVII

---

[1]) Dio Cass. XXXVII, 37: *τότε μὲν δὴ τόδε ἐγένετο, καὶ τὰς αἱρέσεις τῶν ἱερέων γράψαντος μὲν τοῦ Λαβιήνου, σπουδάσαντος δὲ τοῦ Καίσαρος, ἐς τὸν δῆμον αὖθις ὁ ὅμιλος παρὰ τὸν τοῦ Σύλλου νόμον ἐπανήγαγεν, ἀνανεωσάμενος τὸν τοῦ Δομιτίου. ὁ γὰρ Καῖσαρ τοῦ Μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς τελευτήσαντος τῆς τε ἱερωσύνης αὐτοῦ καίτοι καὶ νέος καὶ μηδέπω ἐστρατηγηκώς, ἐπεθύμησε· καὶ ἐν τῷ πλήθει τὴν ἐλπίδα αὐτῆς διά τε τἄλλα καὶ ὅτι τῷ τε Λαβιήνῳ κατὰ τοῦ Ῥαβιρίου συνηγώνιστο καὶ τὸν Λέντουλον ἀποθανεῖν οὐκ ἐψήφιστο λαβὼν τοῦτό τε ἔπραξε, καὶ ἀρχιερέως τῶν ποντιφίκων, καίπερ ἄλλων τε τῆς τιμῆς πολλῶν καὶ τοῦ Κατούλου μάλιστα ἀντιποιουμένων ἀπεδείχθη.*

[2]) Est in codice „aliis“. Multo melius quam „ollis“ aut „aliis alii“ id esse mihi videtur, quod L. Lange conjecit: „divisque patriis. cf. Livii verba supra commemorata: „ne quid divini juris neglegendo patrios ritus p. a. t.“

dierum continentis ad cursum lunae digestus ordo tam difficilis erat perspectu, ut non omnes quibus diebus feriae essent, ante oculos habere possent[1]) et ad ferias recte indicendas fastorum scientia opus esset accuratissima, pontifices callidi hanc scientiam occultabant[2]) atque semper in perbreve tantum tempus populo quae scire eum oportebat denuntiabant. Ineunte mense patres in montem Capitolinum ad curiam Calabram vocabant iisque proponebant, quintanae an septimanae nonae essent futurae.[3]) Nonae autem cum advenissent, rex sacrorum quas celebrandas esse pontifices sciebant, ferias menstruas populo edixit.[4]) Nec sine gravi causa pontifices fastorum scientiam evulgari noluerunt. Nam quia feriae paene omnes aut dies nefasti aut dies parte nefasti erant, quibus neque lege agere neque cum populo agere magistratibus licebat,[5]) manifestum est, pontifices ferias eas quae non certo die quotannis agebantur et conceptivae appellabantur[6]) et praeterea ferias imperativas edicentes hoc vel illo tempore populum comitiis prohibere potuisse. Qua potestate non raro male usos esse pontifices luce clarius est. Quamquam enim tam pauca nobis tradita

---

[1]) cf. Cic. pro Mur. 11, 25: posset agi lege necne pauci quondam sciebant.

[2]) Apud Livium (IV, 3) Canulejus ita ad populum: „obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur" ....

cf. VI, 1: quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa.

Denique v. IX, 46.

[3]) Varro de l. l. VI, 27: Kalendae ab eo, quod his diebus calantur nonae a pontificibus, quintanae an septimanae sint futurae, in Capitolio in curia Calabra sic: die te quinti (MS. dictae quinque) calo Juno novella, septimi die te (MS. septem dictae) calo Juno novella. cf. Plut. qu. R. 24. Lyd. de mens. 3, 7. Serv. ad. Aen. 8, 654. Sed quae hi scriptores tradiderunt, non accurata sunt.

[4]) Varro de l. l. VI, 13: rex cum ferias menstruas nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat. VI, 28: eodem die (nonis) in urbem ab agris ad regem conveniebat populus etc.

Macr. Sat. I. XV, 12: post novam lunam oportebat nonarum die popularis qui in agris essent confluere in urbem accepturos causas feriarum a rege sacrorum sciturosque quid esset eo mense faciendum. cf Serv. ad Aen. 8, 654.

[5]) De diebus fastis et nefastis v. Varro de l. l. VI. 29—30. Liv. I. 19. Ovid, Fast. I. 47. Macr. Sat. I. XVI. 14.

[6]) Macr. Sat. I. XVI, 6: conceptivae sunt quae quotannis a magistratibus vel sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos vel etiam incertos, ut sunt Latinae, Sementivae, Paganalia, Compitalia.

cf. Paul. p. 62. Varro de l. l. VI. 25. Gell. X. XXIV. 3.

sunt de aetate priore, ut exemplum afferre non possimus, tamen illius rei testimonio sunt quae de fastis a Cn. Flavio propositis[1]) scriptores narrant. Haec enim apud Ciceronem legimus: „Erant in magna potentia qui consulebantur (pontifices scriptor dicit!) a quibus dies tamquam a Chaldaeis petebantur. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius qui cornicum oculos confixerit et singulis diebus discendis fastos populo proposuerit et ab ipsis capsis juris consultorum sapientiam compilarit. Itaque irati quod sunt veriti, ne dierum ratione pervulgata et cognita sine sua opera lege agi posset, verba quaedam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent"[2]) (pro Mur. 11, 25)[3]). Apparet igitur, Flavium fastos proponentem dolum collegio nexuisse et ob id hominem de populo bene meritum habitum esse. Nec mirum quod in certamine cum Cornelio Barbato pontifice maximo a populo magnopere adjutus est. Adduxit autem Flavium ad ea quae fecit Appius Claudius Caecus[5]) quippe qui censura fungens nobilium plebejorum spiritus reprimere studeret ideoque cum nemo patriciorum honestorum cum eo facere vellet, infimae plebi, quam „turbam forensem" Livius nominat, faveret. Itaque fieri non potuit, quin collegium pontificum in odium Claudii veniret. Pontifices enim, quamvis tunc nemo eorum ex plebe crearetur, tamen non solum patricios, sed totam nobilitatem adjuvabant.

Fastis propositis nonarum praedicatio cum esset nullius momenti, scribae pontificis sive pontifici minori tradita esse videtur.[6])

Ad circiter centum et viginti annis post ea collegii potestas, quae ad fastos pertinebat, magnopere amplificata est. Lege enim M'. Acilii Glabrionis consulis altero quoque anno intercalandi ratio sublata negotiumque datum est pontificibus, ut quando vellent

---

[1]) Quod factum est intra annos 442/312 (quo censuram Appius Claudius iniit) et 450/304 (quo aedilis curulis Flavius creatus est).

[2]) Joculatur Cicero. Formulas enim illas, de quibus agitur, antiquitus exstitisse, per se intelligitur.

[3]) cf. Liv. IX. 46. Cic. ad Att. VI. 1, 8; de orat. I. 41, 186. Val. Max. II. 5, 2. Macr. Sat. I. XV. 9.

[4]) Liv. IX. 46.

[5]) Plin. N. H. XXXIII. 1, 17. cf. Dion. XVI, 6 (XVI, 3 ed. Kiessling).

[6]) A pontifice minore nonae calantur apud Verrium (Fast. Praen. z. 1. Jan. C. J. L I. 312, 365) et apud Macrobium (Sat. I. XV. 9—10).

intercalarent.[1]) Quod facienti non id consilii fuisse videtur Glabrioni, ut fastos mala illa temporum computandorum ratione cujus vitia decemviri dierum mensis intercalaris numerum corrigentes, sed CCCLV dierum numerum anno concedentes non omnia sustulerant, perturbatos corrigeret et emendaret, sed ut nobilium potentiam rei publicae administrandae augeret et confirmaret. Quod simulato corrigendi fastos consilio facile potuit occultare.

Lege Acilia quae effecta sint quilibet animo praecipiet. Primum nova potestate illa pontifices eos qui rei publicae praeerant, adjuvantes populi consiliis obstabant, ac deinde hominum privatorum rationibus prospicientes aerario damnum inferebant.[2]) Sic ut exemplo utar mense Decembri anni 703/51, cum tribunatum vix iniisset, C. Scribonius Curio qui Caesaris rebus clam studebat complures promulgavit rogationes nobilibus odiosas.[3]) Orta est magna contentio cujus ex eo pendebat exitus, utrum postridie Terminalia[4]) aut tertio die post Terminalia[5]) pontifices intercalaturi essent necne, cum nisi mense adjecto rogationes ante Cal. Mart. perferri non possent. Ac tametsi eo anno jure poterant intercalare, quod biennio ante id factum erat, tamen nobilium partes pontifices secuturos esse Curio quippe qui ipse in collegio esset[6]), persuasum habuit. Quare consilium cepit palam in populi partes transeundi; nihilominus autem hujus consilii dissimulandi causa operam dedit, ut ad intercalandum collegas adduceret.[7]) Quod nimirum frustra

---

[1]) Macr. Sat. I. XIII, 21: Tuditanus refert libro tertio Magistratuum decemviros qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. Fulvius autem id egisse M'. Acilium consulem dicit anno quingentesimo sexagesimo secundo, inito mox bello Aetolico. —

Censor. 20: delictum ut corrigeretur, pontificibus datum negotium eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa.

[2]) Censor. 20, 6: sed horum plerique ob odium vel gratiam, quo quis magistratus citius abiret diutiusve fungeretur aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnove esset plus minusve ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt.

[3]) Dio Cass. XL. 60 sq. — v. Lange, Röm. Alterth. III. p. 382 sq.

[4]) Liv. XLV. 44.

[5]) Liv. XLIII. 11.

[6]) Dio Cass. XL. 62, 1—2. cf. Cic. ad Fam. II. 7, 3.

[7]) Dio Cass. XL. 62, 2: *καὶ τοὺς συνιερέας ὅσον ἀπὸ βοῆς ἐξεβιάζετο: καὶ τέλος μὴ δυνηθεὶς αὐτοὺς πεῖσαι* etc.

fecit.[1]) Collegium enim senatui morem gessit et ut annus maneret suo statu decrevit. Quod haud ingratum accidit Ciceroni qui jam anni 703/51 aestate amicis Romae morantibus supplicaverat ut omnibus viribus contenderent, ne intercalaretur.[2]) Desiderio enim urbis flagravit[3]) Ciliciamque provinciam quam citissime relinquere voluit. Talem intercalandi rationem sequentes pontifices fastos non correxisse sed magis magisque perturbasse[4]) manifestum est. Itaque Caesar, cum a. 708/46 fastorum emendandorum causa ad solis cursum anni tempora digereret, praeter ordinarium mensem intercalarem postridie Terminalia adjectum duos alios menses inter Novembrem et Decembrem addere coactus est, quo fastos cum vero anni tempore exaequaret.[5])

Porro decretis illis quae cum de rebus ad sacra pertinentibus senatus ex collegio percontatus esset, quid ei placeret,[6]) fecerunt pontifices in civitate multum valebant. Haec enim decreta magistratus exsequi oportebat..

Camillus ante Vejos captos decimam praedae partem Apollini voverat. Urbe autem expugnata dubium visum est senatui, utrum ex ea tantum praeda quae rerum moventium esset, decima recte designaretur, an ipsius urbis agrorumque captorum pretium aestimandum esset. Senatus ad collegium pontificum rem rejecit et pontifices decreverunt, etiam agrorum pretii decimam Apollini dandam esse. Agris igitur aestimatis cum in aerario non satis pecuniae esset, qua decima agrorum solvi posset, matronas omnia ornamenta sua ferunt in aerarium detulisse, ut pontificum praeceptum observaretur.[7])

---

[1]) Dio Cass. l. c. Cic. ad Fam. VIII 6, 5: Quod tibi supra scripsi Curionem valde frigere, jam calet, nam ferventissime concerpitur, levissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum etc.

[2]) ad Att V. 9, 2: Illud tamen, quoniam nunc abes, cum id non agitur, aderis autem ad tempus ut mihi rescripsisti, memento curare per te et per omnes nostros, inprimis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu, ne quid novi decernatur; hoc tibi ita mando ut dubitem an etiam te rogem ut pugnes, ne intercalaretur. cf. V. 13, 3.

[3]) ad Att. V. 11, 1: non dici potest, quam flagrem desiderio urbis. — Cicero verebatur, ne provincia ei prorogaretur. V. ad. Att. V. 11, 2 aliasque hujus libri epistolas.

[4]) Censor. 20. Cf. Cic. de legibus II, 12, 29. Suet. Caes. 40; praecipue Cic. ad. Att. X, 17, 3.

[5]) Censor. 20, 8. Macr. Sat. I. XIV, 3. Cic. ad Att. XII, 3. 2.

[6]) Quod a scriptoribus dicitur: „rejicere ad pontifices,“ „referre ad pontifices,“ „consulere pontifices.“

[7]) v. Liv. V. 23. 25.

Neque necesse est ea credamus quae de ornamentis traduntur; id unum autem elucet, omni ope atque opera Romanos eo tempore enisos esse, ut quae sacerdotes jussissent, exsequerentur. Antiquo tempore, cum sellam curulem appetere plebeji vix coepissent, pontifices patrum partes secutos esse per se intelligitur. Notum est, patricios legibus Liciniis Sextiis modo perlatis (a. 387/367) operam dedisse quam maximam, ut hanc aut illam causam simulantes dictatore creando consules plebejos magistratu moverent. Ac plerumque belli periculosi causa dictatore opus esse praetendebant[1]), sed occasione data alia quoque dictitabant. Sic anno 391/363 pestilentia gravi non remittente senatus jussit dictatorem clavi figendi causa dici. Quod factum esse sine pontificum consensu vix crediderim. Compluries enim legimus, quaesitum esse ex pontificibus, quid piaculi ad prodigia procuranda aut ad morbos depellendos esset idoneum.[2]) Dictatore dicto C. Genucius, qui ex plebe consul creatus erat, magistratu sese abdicare coactus est. Simulasse autem patricios clavi figendi caerimonia opus esse, ex eo intelligitur, quod L. Manlius Imperiosus, quem dictatorem fecerant, „perinde ac rei publicae gerendae ac non solvendae religionis gratia creatus esset, bellum Hernicum adfectans dilectu acerbo juventutem agitavit."[3])

Hoc loco addam, etiam augures duumvirosque sacris faciundis plebi aliquoties damnum intulisse. Exempli causa, cum a. 421/333 M. Claudius Marcellus ex plebe dictator creatus esset, auguribus statim negotium datum est a patribus, ut vitio creatum esse illum nuntiarent. Quod injuste eos fecisse ex iis cognosci potest, quae palam tribuni opposuerunt.[4])

---

1) Liv. VII, 6 sq. a. 392/362 Appius Claudius dictator creatus, ut contra Hernicos bellum gereret, a. 393/361 T. Quinctius Pennus qui Gallos repelleret, a. 394/360 Q. Servilius Ahala, ut idem bellum susciperet.

2) Sic ut exemplo utar, apud Livium (XXXI. 12): „ac piacularia, sicut ante pontifices censuissent, fieri". Cf. XL. 37.

3) Liv. VII. 3.

4) Liv. VIII. 23: nec tamen ab dictatore comitia sunt habita, quia vitione creatus esset, in disquisitionem venit. consulti augures vitiosum videri dictatorem pronuntiaverunt. eam rem tribuni suspectam infamemque criminando fecerunt: nam neque facile fuisse id vitium nosci, cum consul oriens de nocte silentio diceret dictatorem neque ab consule cuiquam publice privatimque de ea re scriptum esse nec quemquam mortalium extare, qui se vidisse aut audisse quid dicat, quod auspicium dirimeret, neque augures divinare Romae sedentes potuisse, quid in castris consuli vitii obvenisset. cui non apparere, quod plebejus dicta-

Duoviri autem a. 293/461 id egisse videntur ut legem Terentiliam impedirent.[1])

Postquam plebs potentiam consecuta est neque soli patres sed nobiles patricii plebejique Romae imperium obtinuerunt pontifices ad nutum patrum plebi obstare desierunt. Nec tamen desierunt potestatibus suis male uti. Nobilibus enim gratum facientes iis qui populi causam agebant, detrimentum afferebant.[2]) Ac diu frustra populus enisus est, ut sacerdotibus creandis interesset. — Permulti sunt loci in Livii libris a. u. c. XXI—XLV, quibus de prodigiis agitur.[3]) Quae partim ex decreto pontificum partim ex haruspicum responso procurabantur; partim etiam decemviros[4]) adire libros fatales, quos non facile Romani consulebant nisi taetra prodigia nuntiata erant aut pestilentia in urbem inciderat, senatus jussit. Ac plerumque decemvirorum decreto facto nil ultra requisitum est; sin res gravissima erat, praeter illud quid pontificibus placeret exquisitum esse videtur. Quod perspicies ex Livii verbis XXII 9: „Q. Fabius Maximus dictator iterum quo die magistratum iniit vocato senatu ab diis orsus, cum edocuisset patres, plus neglegentia caerimoniarum auspiciorumque quam temeritate atque inscitia peccatum a. C. Flaminio consule esse, quaeque piacula irae deum essent ipsos deos consulendos esse pervicit ut quod non ferme decernitur, nisi cum taetra prodigia nuntiata sunt, decemviri libros Sibyllinos adire juberentur. qui inspectis fatalibus libris rettulerunt patribus quod ejus belli causa votum Marti foret, id non rite factum de integro atque amplius faciundum esse, et Jovi ludos magnos et aedes Veneri Erucinae ac Menti vovendas

---

tor sit, id vitium auguribus visum?" haec aliaque ab tribunis nequiquam jactata tamen ad interregnum res rediit etc.

[1]) Liv. III. 10. Cf. V. 14.

[2]) Idem augures fecisse apud Livium legimus XXII. 34. XXIII. 31.

[3]) XXI, 62. XXII, 1. 36. 57. XXIII, 31. 36. XXIV. 10. 44. XXV, 7. XXVI, 23. XXVII, 4. 11. 23. 37. XXVIII, 11. XXIX, 14. XXX, 2. 38. XXXI, 12. XXXII, 1. 9. 29. XXXIII, 26. XXXIV, 45. 55. XXXV, 9. 21. XXXVI, 37. XXXVII, 3. XXXVIII, 36. XXXIX, 22. 56. XL, 2. 19. 45. 59. XLI, 9. 13. (15). 21. 28. XLII, 2. 20. XLIII, 13. XLIV, 18. XLV, 16. Cf. II, 42. III, 10. IV, 21. V, 15. pestilentias scriptor commemorat V, 13. VII, 27 etc.

[4]) duoviri erant usque ad annum 386/368 (Liv. VI, 37), quindecimviri ab Sullae tempore.

esse, et supplicationem lectisterniumque habendum et ver sacrum vovendum, si bellatum prospere esset, resque publica in eodem quo ante bellum fuisset, statu permansisset. senatus quoniam Fabium belli cura occupatura esset, M. Aemilium praetorem ex collegii pontificum sententia omnia ea ut mature fiant, curare jubet." Nec mirum hoc quia facile fieri potuit, ut decemvirorum qui sacra a Graecis ascita et accepta curabant decretis patrii ritus a pontificibus custoditi attingerentur. — Qua prodigiorum cura diligentissima optime firmatur quod Gellius dicit, Romanos veteres „in constituendis religionibus atque in dis immortalibus animadvertendis castissimos cautissimosque" fuisse.[1]) Quin etiam in castris deorum ostenta minime neglecta sunt.[2]) Neque incerti erant imperatores, quomodo illa expiarent, cum more majorum pontifex unus in exercitu esset,[3]) qui deorum curam susciperet. — Romae prodigiorum expiandorum causa plerumque feriae extra ordinem edictae sunt[4]), quare pontifices prodigiis nuntiatis comitiorum proferendorum facultatem habebant. Quod exempli causa haec Livii verba docent: „principio anni, quo L. Cornelius Q. Minucius consules fuerunt, terrae motus ita crebri nuntiabantur, ut non rei tantum ipsius, sed feriarum quoque ob id indictarum homines taederet, nam neque senatus haberi neque res publica administrari poterat sacrificando expiandoque occupatis consulibus." [5]) Sed quamvis maxime homines irati essent, tamen exsurgere contra pontificum jussum non ausi sunt. — Jam singula sequar. A. 698/56 rogationes Porciae de Lentulo et de Milone eo sublatae sunt, quod Cn. Cornelius Lentulus consul feriis assensu pontificum

---

[1]) II. XXVIII, 2.

[2]) Liv. XXI, 46: Apud Romanos haudquaquam tanta alacritas erat, super cetera recentibus etiam territos prodigiis... quibus procuratis Scipio cum equitatu etc.

[3]) V. Liv. VIII. 9, ubi legimus Livium pontificem et legatum verba praeisse sollemnia, cum P. Decius Mus pro exercitu se devoveret. Idem invenimus X. 28. Hoc loco non omittam, esse apud Livium (VIII. 9) verba: „pontifex publicus populi Romani," quare non video cur Mommsenus in Orellii lectione (inscr. 2145): „arca pontificum populi Romani" offenderit (R. S. II p. 66. a. 5).

[4]) V. locos supra commemoratos, quos apud Livium invenimus (p. 14 a. 3) et. Gell. II. XXVIII. 2. Feriae eae „imperativae" appellabantur. In his sunt sacrum novemdiale, instauratio Latinarum, supplicationes in biduum, triduum etc.

[5]) XXXIV. 55.

edictis dies comitiales exemit omnes.[1]) Ac similia leguntur apud Appianum (b. c. 1, 55) Plutarchum (Sulla 8) Dionem (XXXVIII, 6). Dio Caesaris legem agrariam a Bibulo collega impeditam esse (a. 695/59), his verbis narrat: „οὐ μέντοι καὶ ὁ Βίβουλος ἐνεδίδου, ἀλλὰ τρεῖς δημάρχους συναγωνιστὰς προςθέμενος,[2]) ἐκώλυε τὸ νομοθέτημα, καὶ τέλος, ἐπειδὴ μηκέτ᾽ αὐτῷ μηδεμία ἄλλη σκῆψις ἀναβολῆς ὑπελείπετο, ἱερομηνίαν ἐς πάσας ὁμοίως τὰς λοιπὰς τοῦ ἔτους ἡμέρας, ἐν ᾗ οὐδ᾽ ἐς ἐκκλησίαν ὁ δῆμος ἐκ τῶν νόμων συνελθεῖν ἐδύνατο, προηγόρευσε." Quod sine pontificum consensu ideoque contra leges fecisse Bibulum, quia ipse Caesar eo tempore pontifex maximus erat, manifestum est. Quapropter optimo jure quod edixit collega Caesar sprevit atque legem agrariam pertulit.

Feriae autem lege edictae ut negligerentur nisi extremo rei publicae liberae tempore non accidisse videtur. Pridie Kal. Jan. anni 688/66, quamquam in eum diem Compitalia erant edicta, C. Manilius tribunus concilio plebis habito legem de libertinorum suffragiis pertulit. Quod profecto frustra ausus est. Nam proximo die senatus legem illam contra jus fasque latam sustulit.[3])

In collegii consilio pontificis maximi sententia lege non plus valuit, quam ceterorum pontificum. Ac tametsi perspicuum est, pontifices praesidis auctoritatem semper fere secutos esse, semel tamen legimus, eos ab illo dissensisse.[4])

---

[1]) Cic. ad Q. fr. II. VI, 4 (II, IV, 4 ed. Wesenberg): consul est egregius Lentulus non impediente collega, sic inquam bonus, ut meliorem non viderim: dies comitiales exemit omnes, nam etiam Latinae instaurantur, nec tamen deerant supplicationes. Ita legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis etc.

[2]) cf. Cic. pro Sest. 53, 113.

[3]) Ascon. p. 65. Dio Cass. XXXVI, 25. (XXXVI, 42 ed. Dindorf). cf. Cic. pro Mur. 23, 47.

[4]) Liv. XXXI, 9: Licinius pontifex maximus ... negavit, ex incerta pecunia vovere debere ... posse rectiusque etiam esse, pontifices decreverunt.

Jam ad praesidis collegii pontificum, ad pontificis maximi potestates pervenimus.

Qui priore tempore legebatur ita, ut collegarum numero cooptatione completo ipsum collegium praesidem e suis ederet[1]). Postea autem (ineunte fere saeculo a. u. c. sexto, v. Lange, R. A. II. p. 500/463) hoc jus ad populum vel potius ad populi partem quandam delatum est. Ex anno enim 514/240, cum essent XXXV tribus, earum septendecim — numerus maximus minoris populi partis — sorte ducebantur, quae ex collegio cooptatione completo pontificem maximum crearent. Nam per majorem totius populi partem (h. e. per populum ipsum) creari pontificem maximum fas non erat propter religionem sacrorum.[2]) Habuit autem comitia pontifici maximo creando pontifex; atque eum quidem, qui modo creatus erat, hoc fecisse Livius tradit (XXV,5). Qua ex re quamvis minime liceat colligi, comitia ea semper a pontifice novo habita esse, tamen 'quid causae esse potuerit, cur ille comitiis praefectus sit,' Marquardtius vir doctissimus recte monere mihi videtur. Nam qui comitia habet, eum potuisse creari vix credendum est. Itaque pontifici novo, quippe qui non facile sibi posset vindicare ut continuo ipse pontifex maximus crearetur, comitia mandata sunt. Qua de causa Mommseno non assentiar, cum Livii locum supra commemoratum afferens haec dicat: „warum gerade er (der neu cooptirte pontifex M. Cornelius Cethegus) den Vorsitz führte, ist nicht zu erkennen.“ (R. S. I. S. 145 A. 1). Atque ipse Mommsenus in altero libri sui volumine tacite concedit se illud incaute dixisse (II. S. 26. A. 3).

Sulla dictator (672/82—674/80) cum restaurare nobilium auctoritatem ac delere populi potentiam studeret, legem Domitiam sustulit. Nec vero legem de comitiis pontificis maximi sustulisse videtur.

---

[1]) cf. Dio Cass. XLIV, 53: (*Ἀντώνιος*) *ἐς τοὺς ἱερέας αὖθις ἀπὸ τοῦ δήμου τὴν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως ἐπανήγαγεν*. Quae Dionis verba argumenti loco sumere Mommsenus non vult (R. S. II. S. 23 A. 2; S. 28. A. 6), cum Lepidus a Vellejo (II. 63) „pontifex furto creatus“ dicatur Liviusque scribat, eum pontificatum maximum intercepisse. Sed quid hoc ad rem nostram? Sive recte dixit sive erravit Dio scribens legitime Lepidum esse creatum, id unum ex ejus verbis certe intelligitur, ex Dionis sententia tempore vetere pontificem maximum a collegio lectum esse. Falso enim Drumannus (h. R. III. p. 166) et Mercklinius (Die Cooptation der Römer. Mitau und Leipzig 1848. S. 144) et qui eos secutus est Gemollius (p. 15) contenderunt, a Sulla comitia pontificis m. sublata esse ideoque scribere potuisse Dionem *αὖθις*. v. p. 18.

[2]) Cic. de leg. agr. II. 7. 18.

Quod si Drumannum sequens Mommsenus contendit, utramque legem illum sustulisse [1]) additque: „Streng beweisen lässt sich dies nicht; Cäsars Wahl zum Oberpontificat konnte auch erfolgen, wenn er nur die Wahlen des domitischen Gesetzes wiedergegeben hatte; aber es hat innere Wahrscheinlichkeit, dass Sulla auch hier bis an die äusserste Grenze ging", sic ut Drumannus, Mercklinius, Gemollius id profecto plane neglexit, quod Cicero refert (de leg. agr. II. 7, 18): „item, inquit (P. Servilius Rullus in rogatione sua) eodemque modo ut comitiis pontificis maximi." [2]) Inde sequitur ut septendecim tribuum comitia viguerint a. 690/64, quo tempore T. Atius Labienus rogationem de sacerdotiis nondum promulgaverat.[3]) Itaque si quis defendet Mommseni sententiam facere non poterit, quin pontificis maximi creationem intra annos 674/80 (quo exeunte dictatura Sulla se abdicavit) et 690/64 iterum ad populum delatam esse contendat. Quam tamen opinionem nemo facile probabit [4]). Ac postremo si quaeras qualis sit illa probabilitas interna, quam conjecturae suae Mommsenus attribuit, facile est intellectu, Sullam lege Domitia sublata collegiisque voluntate dictatoris ita completis ut essent quindecim pontifices totidemque augures satis fecisse ad populum opprimendum. His enim Sullae collegiis postea novos in mortuorum locos cooptantibus non dubium erat, quin pacto cum nobilium factione pontifices staturi essent, minorisque momenti erat, quem ex candidatis ab ipso collegio propositis pontificem maximum XVII tribuum comitia eligerent.

Denique restat, ut de Lepidi creatione pauca addam. Quam legitime factam esse Dio credidisse videtur (v. p. 17), sed quae sunt apud Livium Vellejumque meliora nos edocent. Sive promulgandi tempus Antonius neglexit atque legem de Lepido creando praemature pertulit, sive contra legem a collegio Lepidus creatus est, id unum constat, non observata lege pontificatum ei traditum esse. —

---

[1]) R. S. II. S. 28. A. 3.

[2]) Etiam Bouché-Leclercq hoc omittit. Qui tamen cautius „Peut être même", inquit, . . . „la loi Cornélienne enlevait-elle au peuple le droit d' élire le P. M." (p. 331).

[3]) Rullus rogationem promulgavit mense Decembri a. 690/64, v. Cic. de leg. agr. II, 5, 13.

[4]) Praecipue cum Q. Metellus Pius pontifex maximus fuerit a Sullae tempore usque ad consulatum Ciceronis (Ascon. p. 80, 87; Dio Cass. XXXVII, 37) ideoque mutationis illius ansa data non sit.

Quod ad honoris gradum pontifex maximus non primus, sed quintus erat sacerdotum, cum primum locum rex, secundum flamen Dialis, tertium flamen Martialis, quartum flamen Quirinalis obtineret.[1]) Qui tamen ordo potestati civili, qua sacerdotes illi praediti erant, minime respondebat. Quod primum inde potest cognosci, quod iis non eadem fuit licentia gerendi magistratus. Regem sacrorum magistratu fungi nefas erat[2]), et quamvis lege prohibitum non esset, quominus flamen Dialis consul crearetur, tamen praecepta quaedam huic sacerdoti imposita potestatem belli gerendi ei peremerunt. Quod Gellius docet (X. XV, 3), ex Fabii Pictoris libro primo haec repetens: „Equo Dialem flaminem vehi religio est (et) „classem procinctam“ extra pomerium, id est exercitum armatum videre; idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur; item jurare Dialem fas nunquam est“ etc. Quo testimonio eum sine dubio inferius sit quod tradit Plutarchus (q. R. 113): *„τοῖς ἱερεῦσι τούτοις ἀρχὴν οὐκ ἐφεῖτο λαβεῖν οὐδὲ μετελθεῖν“*, quid moverit Mommsenum, ut Plutarchi testimonio fretus omnes flamines initio non potuisse consules fieri scriberet[3]), invenire non possum.

Flamini Martiali et flamini Quirinali praecepta adeo molesta non erant imposita. Ex controversiis autem, quas cum pontifice maximo illi habuerunt[4]) itemque ex verbis quibusdam Livii[5]) cognoscimus propter sacrorum curam licentiam flaminibus non permissam esse, ut Roma diu abessent. Ac pontifici maximo cur plus licentiae datum sit facile perspicient qui animo reputaverint, pontificem alium ejus vice permultis negotiis fungi potuisse. — Quod priores contenderunt, pontifici maximo magistratus gerendi potestatem antiquo tempore non fuisse, nulla ratione mihi videtur dictum esse.

---

[1]) Festus v. ordo p. 185: Maximus videtur rex, dein Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto pontifex maximus. Cf. Gell. X. XV. 21.

[2]) Dion. Halic. IV. 74. Plut. q. R. 63. cf. Liv. XL. 42 (Dolabellam ut inauguraret pontifex magistratu sese abdicare jubebat.

[3]) R. S. I. S. 390 A. 5. Quae dicit Bouché-Leclercq (p. 300) „[La vie du F. D.] appartenait tout entière à Jupiter. Il était, par conséquent, impropre à tous les emplois profanes“ verba sunt.

[4]) Liv. ep. XIX [cf. Val. Max. I, 1, 2];
Liv. XXXVII. 51. Cic. Phil. 11, 8.

[5]) Q. Fabius haec ad Quirites: „M. Aemilius Regillus flamen est Quirinalis, quem neque mittere ab sacris neque retinere possumus, ut non deum aut belli deseramus curam (XXIV. 8).

Livius enim, quippe qui ejusmodi res accurate soleat narrare[1]), non dicit novos fuisse et inauditos P. Licinii Crassi pontificis maximi honores[2]). Quod si in prioribus Livii libris nusquam legimus, pontificem maximum magistratibus functum esse, mirandumne id est, cum tempore vetere ac religioso ad summum illud sacerdotium nemo admissus sit, nisi qui honores percurrerit? Quod ipse Livius docet, scribens (XXV. 5) „ante hunc (P. Licinium Crassum) intra centum annos et viginti nemo praeter P. Cornelium Calussam pontifex maximus creatus fuerat qui sella curuli non sedisset."

Non satis constat, quod sexcenties in libris nostris invenimus, legem vetuisse, ne quis pontifex maximus ex Italia abiret. Nam iis quae sunt apud Livium (ep. LIX) „adversus eum (Aristonicum) P. Licinius Crassus consul cum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus proelio victus et occisus est" nil affirmatur nisi Crassum fuisse primum, qui sacerdotium negligens Italiam reliquisset. Itaque verisimile est, eum non contra legem, sed contra morem hoc fecisse[3]). Deinde ex iis, quae legimus in Livii libro XXVIII. c. 38[4]) nihil profecto certi colligi potest, neque ea probaverim, quae addit Mommsenus: „wenn einmal ein gewissenhafter pontifex maximus es vorzog, als Consul in Italien zu bleiben, so beweist das vielmehr, dass rechtlich seiner Entfernung nichts im Wege stand." [5])

Quem supra commemoravimus, ordinem sacerdotum fuisse inanem, penitus perspiciemus si quantas et quales fuerint potestates soli pontifici maximo mandatae exposuerimus. Quarum potestatum prima est creandi regem sacrificulum, flamines, Vestales.

[1]) Ita, ut exemplo utar, non praetermittit P. Licinii Crassi audax inceptum. Qui cum a. 623/131 et consul et pontifex maximus esset sacerdotium negligens Italia decessit, ut cum Aristonico bellum gereret (ep. libri LIX).

[2]) Vir ille clarissimus (Liv. XXX, 1) qui collegio pontificum praeerat ab anno 542/212 (Liv. XXV, 5) censor creatus est eodem anno (Liv. XXVII, 6) praetor proximo (Liv. XXVII, 21) consul a. 547/207 (Liv. XXVIII, 38). Ac proconsul idem in castris fuit a. 550/204 (Liv. XXIX, 13).

[3]) Diserte populus bellum illud Crasso mandavit, cum rogassent tribuni, „quem id bellum gerere placeret", ac duae tantum tribus Scipionem Aemilianum ducem creaverunt (Cic. Phil. 11, 8, 18).

[4]) nominatae consulibus provinciae sunt, Sicilia Scipioni extra sortem concedente collega, (P. Licinio Crasso) quia sacrorum cura pontificem maximum in Italia retinebat.

[5]) R. S. I. S. 390. A. 5. a. E.

Flamen Dialis autem quomodo creatus sit, Tacitus refert[1]), eodemque modo flaminem Martialem et flaminem Quirinalem creatos esse verisimile est. Nec Rubino a vero aberrasse videtur, cum pro inepto illo „inauguratus", quod est apud Livium in libro XL. c. 42[2]) scribens „nominatus" pari modo regem sacrificulum lectum esse concludat.[3]) Quicumque rex aut flamen captus erat a pontifice maximo eum dicto audientem esse oportebat.[4])

In creandis Vestalibus lege Papia nondum lata pontifex maximus infinita praeditus erat potestate, puellisque omnibus ab eo captis nisi gravi causa excusatae erant[5]), obediendum fuit. Ipsa autem lex Papia, qua cautum est, ut virginibus viginti a pontificibus lectis sortitio ex eo numero fieret in contione[6]), quo anno facta sit non constat. Sed verisimile est, eam post Sullae mortem perlatam esse.[7])

Altera pontificis maximi potestas haec fuit ut sacerdotes omnes in sacris administrandis custodiret ac si culpam commisissent, puniret.

Sed jurisdictio ejus capitalis ad Vestales solas pertinuisse videtur, ut recte Mommsenus docuit.[8]) Quae jurisdictio ex jurisdictione domestica patris familias explicanda est. Virgo enim

---

1) Ann. IV. 16: sub idem tempus de flamine Diali in locum Servi Maluginensis defuncti legendo simul roganda nova lege disseruit Caesar. Nam patricios confarreatis parentibus genitos tres simul nominari (wahrscheinlich vom Pontificalcollegium, Mommsen, R. S. II. S. 23) ex quis unus legeretur vetusto more, neque adesse ut olim eam copiam etc. cf. Liv. XXVII, 8. Val. Max. VI. 9. 3.

2) P. Cloelium Siculum inaugurarunt, qui secundo loco inauguratus erat.

3) Untersuchungen über röm. Verfassung und Geschichte. Cassel 1839. S. 243.

4) Liv. XXVII. 8: „et flaminem Dialem invitum inaugurari coëgit P. Licinius pontifex maximus C. Valerium Flaccum."

XL. 42: „contentio inter C. Servilium pontificem maximum fuit et L. Cornelium Dolabellam duumvirum navalem, quem ut inauguraret, pontifex magistratu sese abdicare jubebat." — Magnopere igitur regis et flaminum sacerdotia eo tempore contempta sunt. Quod idem Cicero confirmat, qui in oratione de domo sua habita haec dicit: „ut cuique aliquid acciderit quare commodius sit esse plebejum, simili ratione adoptabitur. Ita populus Romanus brevi tempore neque regem sacrorum neque flamines nec Salios habebit etc. (c. XIV).

5) Gell. I. XII. 6. Sed eam, cujus soror ad id sacerdotium lecta est excusationem mereri ajunt etc.

6) Gell. I. XII. 11.

7) v. Lange, R. A. II. S. 628/573.

8) R. S II. S. 53 ff.

Vestalis simul erat capta atque in atrium Vestae deducta et pontificibus tradita, sine emancipatione et sine capitis deminutione e patris potestate exiit et in rei publicae tutelam venit. Ac rei publicae vice fungens pontifex maximus Vestalibus loco patris erat. Quare is ipse judex illarum erat legitimus. Delicta autem Vestalium duo tantum ab auctoribus commemorantur: ignis neglectio et incestus. Ignem si qua virgo neglexerat ita ut extingueretur, pontifex maximus flagro eam caedere solebat[1]) neque opus fuisse videtur collegii consensu; incestus delictum quod supplicio vindicabatur[2]), si qua commiserat, collegium ferre sententiam mos erat.[3]) Ac si non satis in aperto erat scelus quaestionem de ea re collegium habuit.[4])

[1]) Festus ep. p. 106: ignis Vestae si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur a pontifice. cf. Dion. Halic. II. 67. Exemplum afferam ex Livii libro XXVIII. c. 11 .... „terruit animos hominum ignis in aede Vestae exstinctus; caesaque flagro est Vestalis, cujus custodia ejus noctis fuerat, jussu P. Licinii pontificis. Idem narrat Val. Max. I, 1, 6. cf. Jul. Obseq. 8.

[2]) Cic. de legib. II. 9: incestum pontifices supremo supplicio sanciunto.

[3]) Collegium igitur consilii familiaris loco est. Recte Mommsenus haec (II. S. 53. A. 4): „Auf die Frage, ob der Oberpontifex genöthigt war, das Collegium bei diesen Processen zuzuziehen, wird dieselbe Antwort zu geben sein wie für die gleichen Gerichte des Vaters und des Ehegatten. Gesetzlich vorgeschrieben war die Zuziehung nicht und in geringeren Sachen nicht üblich; aber in schweren Fällen galt das Verfahren ohne Consilium, wahrscheinlich auch das Urtheilsprechen gegen die Majorität des Consilium, als „durum et iniquom." (Cic. de harusp. resp. 7, 13). Item pater familias qui sine consilii familiaris consensu ex domesticis aliquem necaverat, vir durus habebatur. — Eadem fere profert Bouché-Leclercq (p. 296—297). Exempla incestus Vestalium v. apud Livium II. 42. VIII. 15. ep. XX. XXII. 57 etc. et apud Dionysium VIII. 89. IX. 40.

[4]) Dion. Halic. VIII. 89: *ξήτησις δὴ μετὰ τοῦτο πολλὴ ἐκ πάντων ἐγίνετο, καὶ σὺν χρόνῳ μήνυσις ἀποδίδοται τοῖς ἱεροφάνταις, ὅτι τῶν παρθένων τῶν φυλαττουσῶν τὸ ἱερὸν πῦρ, Ὀπιμία ὄνομα αὐτῇ τὴν παρθενίαν ἀφαιρεθεῖσα μιαίνει τα ἱερά. οἱ δὲ ἔκ τε βασάνων καὶ τῶν ἄλλων ἀποδείξεων μαθόντες, ὅτι τὸ μηνυόμενον ἦν ἀδίκημα ἀληθές, αὐτὴν μὲν τῆς κορυφῆς ἀφελόμενοι τὰ στέμματα καὶ πομπεύσαντες δἰ ἀγορᾶς ἐντὸς τείχους ζῶσαν κατώρυξαν.*

Dion. Halic. II. 68, 10: *λέγεται δή ποτε τοῦ πυρὸς ἐκλιπόντος δἰ ὀλιγωρίαν τινὰ τῆς τότε αὐτὸ φυλαττούσης Αἰμιλίας ἑτέρᾳ παρθένῳ τῶν νεωστὶ κατειλεγμένων καὶ ἄρτι μανθανουσῶν παραδούσης τὴν ἐπιμέλειαν ταραχὴ πολλὴ γενέσθαι κατὰ τὴν πόλιν ὅλην καὶ ζήτησις ὑπὸ τῶν ἱεροφαντῶν, μή τι μίασμα περὶ τὸ πῦρ τῆς ἱερείας ἐτύγχανε γεγονός.* etc. Verbo „*ἱεροφάντης*" Dionysius graece reddit latinum „pontifex" (v. II. 73, 20; II, 66, 14; II. 66, 20 [Liv. ep. XIX]; II. 67, 9 etc. Raro apud Dionysium invenimus „*οἱ τῶν ἱερῶν ἐξηγηταί* s. *ἐπίσκοποι* (III. 67, 15; IX. 40, 14;) rarissime „*ποντίφεξ.*" Contra Dio Cassius crebro utitur verbo „*ποντίφεξ*": 40, 62; 42, 51; 48, 32; 48, 44 cte.

Id unum profecto mirum videri potest, pontifices etiam de stupratore judicasse[1]) neque aliter hoc explicare possum atque Mommsenus qui aut antiquitus patrem familias stupratorem puniisse aut — quo magis adducor — Vestalis corruptelam piaculum habitam esse conjicit. Atque hoc si rectum est, pontificis maximi judicium de stupratore ex eo tempore sine dubio originem ducit quo reges summa potestate ac summo imperio praediti eum qui in sacris peccaverat, morte mactaverunt. At utraque earum quas proposuimus explicationum rejecta si probemus, jurisdictionem pontificis maximi capitalem ad omnes pertinuisse sacerdotes, certe scimus, quo jure Cantilio supplicium pontifex decreverit. Sed stupratores illi, de quibus Dionysius loquitur (VIII. 89; IX, 40) omnesne fuerunt sacerdotes? Praetera quod majoris momenti est ubi legimus, flaminem aut regem sacrorum aut augurem alia atque pecuniaria poena a pontifice affectum esse?

Adversus poenas capitales a pontificibus decretas provocari ad populum non licebat, erravitque Zumptius, qui exceptionem quandam[2]) sequens contra dixit. In omnibus enim causis, in quibus provocari licebat, quod quidem nos cognitum habeamus, reapse provocatum est. Quod profecto per se intelligitur. Nusquam autem legimus, Vestalem incestus ream aut stupratorem ejus provocasse. Cujus rei causam invenio nullam nisi hanc: non licuisse iis provocare.

Sed adversus multas a pontifice maximo sacerdotibus dictas provocari licebat sicut adversus multas a magistratibus dictas, si major multa erat, quam duarum ovium et triginta boum.[3]) Quae

---

[1]) Cato apud Festum p. 241. Dion. Halic. VIII. 89. Liv. XXII. 57: L. Cantilius scriba pontificis, quos nunc minores pontifices appellant, qui cum Floronia stuprum fecerat, a pontifice maximo eo usque virgis in comitio caesus erat, ut inter verbera expiraret. (cf. Suet. Domit. 8; Zonar. 7, 8.)

[2]) A. 641/113 rogante Sexto Peducaeo quaestio extraordinaria facta de incestu trium Vestalium, quamvis jam antea pontifex de ea re sententiam tulisset. (Ascon. 46, Cic. de nat. deor. III. 30, 74; cf. Liv. ep. LXIII, Dio Cass. fr. 87 (ed Dindorf) Macr. Sat. I. X. 5, 6. — Quare nil affirmatur nisi eo tempore quo maximam populus potentiam adeptus erat, ausum esse tribunum, pontificis judicium quod aut nimiae clementiae aut alius rei causa hominum animos offenderat impugnare. — Feminas provocandi potestatem omnino non habuisse, Langius jure negat (R. A. II. S. 545/501). Illud enim notissimum omnibus „cum feminis nulla comitiorum communio est" ad jus suffragii solum spectat.

[3]) Hanc supremam dixerunt multam. v. Festus p. 202. 237. Paul. p. 144. Gell. XI, 1. Dion. Hal. X. 50.

tradita sunt de provocationibus adversus pontificem inveniuntur apud Livium (XXXVII, 51; XL. 42); apud Ciceronem (Phil. 11, 8, 18), apud Festum (p. 343). Quae habet Festus, etsi valde corrupta sunt, tamen in ea re quae summa est certa ratione possumus supplere.[1]) Multo autem majoris momenti est quod brevioribus verbis Livius refert in libro XXXVII. c. 51: „certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit et Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem. hunc ne in Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit. et in senatu et ad populum magnis contentionibus certatum est et imperia inhibita ultro citroque et pignera capta et multae dictae et tribuni appellati et provocatum ad populum est. religio ad postremum vicit ut dicto audiens esset flamen pontifici et multa jussu populi ei remissa." Quem sequentes locum facere non possumus, quin jus pignoris capiendi adversus sacerdotes pontifici adscribamus. Mommsenus autem scribens: „Dass formell nicht feststand, ob der Oberpontifex den Obermagistrat zu multiren befugt war oder umgekehrt dieser jenen, zeigt der merkwürdige Vorgang den Livius 37, 51 erzählt"[2]), praeteriisse videtur, pontificem non praetorem Fabium sed flaminem Quirinale mmultasse. Magistratum enim sacerdotium non gerentem puniendi potestatem pontifex certe non habuit, nec video cur putandum sit nobis, pontificem jurisdictione magistratuum exclusum fuisse. Itaque alterum illud, quod eodem libri sui loco Mommsenus docet: „Auch die quasimagistratische Gewalt des Oberpontifex hat den Werth der major potestas (Magistraten gegenüber!) plane perversum duco. Nam iis quae sunt in epitome Livii (XLVII): „Cn. Tremellio praetori multa dicta est quod cum M. Aemilio Lepido pontifice maximo injuriose contenderat" minime demonstratur, pontificem ipsum eam multam dixisse, ac si ita esset, unde scimus, Tremellium sacerdotem non fuisse? Jam in altero operis volumine Mommsenus sententiam suam vehementer mutavit[3]) nec tamen disertis verbis ea retractavit quae antea falsa dixerat. Legenti quae sunt in volumine priore (p. 140) cuique contendere

---

[1]) Mommsen, R. S. II. S. 31. A. 3.

[2]) R. S. I. S. 58. A. 1.

[3]) Caute haec dicit in p. 17.: „Die Frage, in welchem Rangverhältniss Aemter und Priesterthümer zu einander stehen, ist nicht zu beantworten, sondern abzulehnen; es sind ungleiche Grössen." De Pictoris et Tremellii causis v. p. 56 a. 1 et p. 57 a. 3.

videbitur Mommsenus, pontificem maximum quoad sacra de privatis quoque judicasse, in volumine autem altero (v. p. 45 et 47) vir ille doctus plane hoc rejicit. Ac jure quidem optimo. In litibus enim ad sacra pertinentibus quid placeret pontificibus, exquirebatur, quodque responderunt id quasi fundamentum erat judicii. Sed ipsum judicium a magistratibus factum est. Minime nego, litem pontificum responso semper fere reapse finitam esse; id unum premo, responsum illud non judicium lege factum fuisse. Quod ut exemplo utar ex lite illa omnibus notissima de domo Ciceronis facile perspicies, cum ipsius Ciceronis verba doceant rem ad pontifices qui sententiam ferrent rejectam esse[1]), responso autem dato a senatu (aut ut vult Mommsenus a consule) judicium factum esse.

Jam restat ut quaedam a Dionysio tradita paucis attingam, cum iis Mommsenus utatur ad confirmandam eam sententiam, quam in volumine priore libri sui affert. Sunt enim haec apud Dionysium (II. 73): *καὶ γὰρ δικάζουσιν οὗτοι (οἱ ποντίφικες) τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι καὶ λειτουργοῖς θεῶν .... καὶ εἴ τινας αἴσθοιντο μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν, ζημιοῦσιν πρὸς ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες κ. τ. λ.* Quaeritur primum, liceatne intelligi haec verba „cum grano salis" et referri ea ad auctoritatem collegii sententiarum. Est enim totum hoc Dionysii caput ita scriptum, ut magis verborum elegantiae quam rerum explanationi auctor studuisse videatur. Ac perspicue cognosci potest id egisse Dionysium, ut pontificum potentiam quam maxime verbis augeret. Deinde autem non omittendum est verba Dionysii compluribus hujus capitis locis plane corrupta esse. Nec vero unum illud quod supra commemoravi, nos offendit. Nam legenti mihi *„τάς τε ἀρχὰς ἁπάσας ὅσαις θυσία τις ἢ θεραπεία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας ἐξετάζουσιν"* sicuti Mommseno obscurum est quos magistratus scriptor in animo habuerit. Quae cum ita sint, cautissime utendum esse Dionysii verbis quisque sine dubio concedet.

Tertium jus auspiciorum pontificem maximum habuisse negari non potest. Quod simpliciter et perspicue Paulus dicit in ep. Fest. p. 248: „posimerium pontificale pomerium, ubi pontifices auspicabantur. Jam quid in animo habuerit Mommsenus scribens (I. S. 18. A. 3): „Die Angabe im Auszuge

[1]) Cic. ad Att. IV. 1. 7: de domo nostra nihil adhuc pontifices respondere. cf. IV. 2, 4 totamque orationem de domo habitam.

des Festus ist freilich insofern bedenklich, als in der entsprechenden Glosse des Festus den vorhandenen Resten nach dies nicht gestanden zu haben scheint“ difficile est intellectu. Festi enim verborum tam pauca supersunt, ut quemvis sensum supplendo proferre possimus. Item alter Festi locus (p. 343 v. Saturno) parum integer est ut quaestionem nostram dijudicare possit. Regem autem sacrorum et flamines in comitiis calatis — quae pro collegio pontificum habebantur[1]) — pontificis maximi auspiciis inauguratos esse manifestum est, cum neque rex aut flamen inaugurandus neque augur ad caerimoniam eam adhibitus spectionem habere potuerit. Ac pontifices modo creati cujus auspiciis inaugurati sunt[2]) nisi pontificis maximi? Postremo de comitiis ad prodendum primum interregem quae a pontifice maximo habita esse mihi persuasum est[3]), pauca addam. Auspicato proditum esse interregem Livius refert[4]); Mommsenus autem ad primum quoque interregem id pertinere negat contenditque, hanc imperfectam legendi rationem fuisse causam, cur primus interrex creandi regem vel consules potestatem non habuisset. Cui tamen sententiae Langius recte opposuit, fieri non posse jure Romano, quin primo interrege non recte lecto posteriores eodem vitio afficiantur.[5]) Cum autem dicat Mommsenus: „Es ist richtig, dass der Ausdruck ‚interregem prodere‘ auch von dem ersten Zwischenkönig gebraucht wird; aber für diesen ist er abusiv, da er etymologisch das Weitergeben der Gewalt in sich schliesst“[6]) viro huic doctissimo et optime de antiquitatum Romanarum disciplina merito argutias objiciendi jus ac potestatem habemus. Nam profecto „interregem prodere“ non possumus interpretari „die Gewalt weitergeben“, nec magis „einen Interrex weitergeben.“ Itaque id unum restat ut infelix illud „weiter“ omittamus ac vertamus: „einen Interrex hervorgeben“, i. e. „einen Interrex ernennen.“ Quin etiam si rem objectam „interregem“ negligere vellemus, non facile demonstraret Mommsenus, eam verbi ‚prodere‘ significationem, in qua natum est, esse „weitergeben“ nec

[1]) Gell. XV. XXVII. 1.

[2]) Dion. Halic. II. 73, 26: παραλαμβάνει δὲ τὴν ἱερατείαν ὁ δοκιμασθεὶς, ἐὰν εὐόρνιθες αὐτῷ τύχωσιν οἰωνοὶ γενομένοι.

[3]) V. Lange R. A. I. S. 256/223. Bouché-Leclercq p. 307.

[4]) VI, 41.

[5]) R. A. I² S. 259—260.

[6]) R. S. I. S. 23 A. 3.

potius „hervorgeben“, cum ex verbo „vor“ verba „vorwärts“ ac deinde „weiter“ exeant. — Neque id quod extremo loco addit Mommsenus „vor allen Dingen ist, wo es an einem Besteller fehlt, die Einholung der Auspicien vor der Bestellung einfach unmöglich“ recte dictum esse mihi videtur. Pontifex enim quamquam non fuit ipse „der Besteller“, sed sorte lectio facta esse videtur, quidni potuerit concilio auspicari non invenio.

Quartum jus cum populo agendi (itemque jus cum plebe agendi) penes sacerdotes generatim non fuisse inter omnes constat. Nam quae habuit pontifex maximus comitia calata, si Varroni fides habenda est propterea non vera erant comitia quod sicut in comitiis ad prodendum primum interregem rogatio fiebat nulla. At profecto in comitiis pontifici maximo creando, quae sexto a. u. c. saeculo habuit pontifex, rogatio ad eos, qui aderant, lata est. Sed aderant XVII tantum tribus et quod eae jusserunt, id pro populi scito habendum non est[1]), neque cecidit in illa concilia nomen comitiorum.[2])

Quae cum ita sint, una tantum exceptio regulae restat. Anno enim 305/449, cum decemviri magistratu sese abdicassent, novi tribuni plebis pontifice maximo comitia habente creati esse traduntur. Cujus rei auctores sunt Cicero et Livius. Quorum alter apud Asconium (p. 77) haec: „armati in Capitolium venerunt, decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt“, alter haec in libro III. c. 54: „factum senatusconsultum, ut decemviri se primo quoque tempore magistratu abdicarent, Q. Furius pontifex maximus tribunos plebis crearet“.... porro haec: „in Aventinum ite, unde profecti estis. ibi felici loco, ubi prima initia inchoastis libertatis vestrae tribunos plebi creabitis. praesto erit pontifex maximus qui comitia habeat“ ... denique haec: „ibi (in Aventino) extemplo pontifice maximo comitia habente tribunos plebis creaverunt.“ Quam historiam testimoniis non infidis confirmatam ad fabulas conferri nolim. Verum est profecto, pontificem maximum illo tempore ex patribus lectum esse; ac tribunis creandis cum ne interesse quidem patricium liceret, multo minus praesidium

---

1) cf. Mommsen, R. S. II. S 26. 34.

2) Gell. XV. XXVII. 4: Is qui non (ut) universum populum sed partem aliquam adesse jubet, non comitia sed concilium edicere debet. — Quod neglexit Bouché-Leclercq (p. 308).

ei convenisse manifestum est. Sed levissimum hoc argumentum duco, quia fieri nullo modo potuit, ut lege vetere tribuni crearentur.[1] „Die Ausrede“, inquit Mommsenus, „dass die Erneuerung der leges sacratae die pontificale Mitwirkung erfordert habe, (Schwegler, 3. 66 u. A.) trifft in keiner Weise zu; die patricischen pontifices sind es wahrlich nicht, die die leges sacratae gemacht haben, und hätten sie sie gemacht, so folgt daraus das Recht der Wahlleitung noch gar nicht.“[2] Cui argumento opponam, non de iis agi quae constituta erant legibus sacratis, sed de jurejurando cujus verba praeire oportebat pontificem maximum. Qua ex re etsi non sequitur pontifici maximo jus fuisse comitia illa habendi, tamen causam quandam compertam habemus, cur pontificem comitia habere tribunis creandis populus consilii inops jubere potuerit. Deinde quod dicit Mommsenus, historiam illam esse „ein Erzeugniss des grobdrähtigen Legitimitätsbestrebens, das Alles, was Revolution ist, wo es nicht auszustreichen ist, wenigstens vertünchen möchte“[3] equidem non probo. Quid? Num eo obliteratur seditio, quod pace facta tribunorum plebis creatio, quippe quae lege fieri non potuerit, sacerdoti adscribitur? aut num omnino nihil eorum credendum est, quae de altera secessione plebis nobis tradita sunt? Quo venimus, si tantopere quae scriptores veteres narrant, contemnimus!

In concilio plebis, non comitiis calatis, ut mire voluit Beckerus, tribunos a pontifice creatos esse, per se intelligitur.

Denique si provocatum erat, utrum ipse pontifex maximus comitia tributa[4] convocaverit, an magistratus id pro illo fecerit, dijudicare non possumus. Ipsum eum hoc fecisse Mommsenus putat[5]; sed nullum sententiae suae argumentum potest afferre, nisi levissimum illud: „auctores non contra dicunt.“

Quintum contionis convocandi et in contione agendi potestatem pontificem maximum habuisse a Paulo Gellioque satis affirmatur.[6] At edicendi jus a pontifice maximo nuper

---

[1]) Hoc ipse Mommsenus concedit (II. S. 33/34 A. 4).

[2]) R. S. II. S. 34.

[3]) II. S. 34. A. 1.

[4]) Comitia tributa de controversiis illis judicasse ex iis apparet, quae narrat Livius in libro XL. c. 42.

[5]) R. S. I. S. 146. II. S. 57 A. 7.

[6]) Paul. 38. Gell. I. XII. 11.

Mommsenus abjudicavit.[1]) Qui diu in contrarias sententias distractus esse videtur. Haec enim dicit in volumine priore (p. 152): „Den pontifices oder vielmehr dem pontifex maximus stand, wie das Recht der contio, so auch das zu zu ediciren; den übrigen Priestern dagegen scheint es gefehlt zu haben.“ Sed hoc defendens locum affert Livii[2]), qui propterea nullius profecto momenti est, quod eo loco non suo arbitrio sed jussu regis pontifex sacra proposuisse dicitur. Quod in altero volumine Mommsenus bene intellexit, cum propositioni illi nomen tribuat „Königsedict“, nec tamen antea se errasse commemorat.

Contra eo quod refert Dionysius in libro tertio c. 36., regibus expulsis Papirium pontificem maximum leges regias denuo proposuisse[3]), jus edicendi pontifici attribui videtur. Quare Mommsenus in volumine libri sui altero (p. 42—43) operam dat quam maximam, ut hujus narrationis fidem infamet. Neque vero probanda esse mihi videntur, quae affert. Mihi quidem persuaderi non potest mentitos esse, qui tradunt, pontifices leges regias a Papirii temporibus usque ad incendium urbis in foro propositas postea partim suppressisse.

Atque item non incredibile duco, leges regias pontificibus iis, quae occultabant, subtractis[4]) libro collectas esse, qui inscriberetur „jus Papirianum.“[5]) Ex hac autem narratione, quam posteriore tempore compositam ac multis de causis suspectam esse censet, quo jure concludere possit Mommsenus, jurisconsultos aetatis Augusteae jus edictum constituendi praetorio simile et regi tribuisse et a pontifice maximo abjudicasse[6]), non intelligo.

---

[1]) R. S. II. S. 38.

[2]) I. 32: Ancus sacra publica ex commentariis regiis pontificem in album elata proponere in publico jubet.

[3]) μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων εἰς ἀναγραφὴν δημοσίαν αὖθις ἤχθησαν ὑπ' ἀνδρὸς ἱεροφάντου Γαίου Παπιρίου, τὴν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντος.

[4]) Mementote quaeso Cn. Flavii!

[5]) Paul. Dig. 50. 16, 144. Macr. Sat. III, 11, 5.

[6]) Ipsius Mommseni verba haec sunt: „Immerhin wird man aus dieser wahrscheinlich erst spät zusammengestellten und in vieler Hinsicht bedenklichen Erzählung schliessen dürfen, dass die Staatsrechtslehrer der Augusteischen Zeit das Recht ein dem prätorischen analoges Edict aufzustellen, dem König ebenso zuwie dem Oberpontifex absprachen (II. S. 43).

Porro iis quae de fastis Caesar edixit[1]) oppugnare Mommsenum ea de causa nolim quia certe idem dicet atque de imperatorum edictis pontificiis[2]): dictatorem et consulem, nec pontificem maximum Caesarem anno 708/46 jure edicendi usum esse.

Denique ut hujus quoque rei mentionem faciam, dubium esse mihi videtur, num a pontifice maximo jus abjudicare possimus, quod penes regem sacrorum potestatis civilis inopem fuisse certo scimus.

Itaque si omnia, quae adhuc disputavimus, amplectimur, pontificem maximum potestatem magistratuum (h. e. quod nos dicimus „die potestas im staatsrechtlichen Sinne") non habuisse elucet. Sed tot ac tanta jura in sacerdotium ejus quod per totam tenuit vitam, collata erant, ut non sine gravi causa Festum verbo illo splendido quod initio quaestionis nostrae commemoravimus, usum esse appareat. Quare eo ipso tempore, quo paene ad perniciem rerum divinarum cura venerat, pontificis maximi auctoritas minus diminuta erat. Sacerdotia illa, quibus rei publicae administrandae potentiam homines adipisci non poterant, jam diu vacua erant[3]) donec Augustus religionem putridam ac paene dissolutam in breve tempus restitueret.[4]) At pontificatum Dio Cassius magnopere profuisse scribit ad infinitam novorum Caesarum potentiam.[5])

---

[1]) Censor. 20, 8 sq. 21, 7. Macr. Sat. I. 14, 13.

[2]) Tacit. Hist. II. 91. cf. Mommsen, R. S. II. S. 41 A. 1.

[3]) Tacit. Ann III. 58: Quinque et septuaginta annis post Cornelii Merulae caedem neminem (Dialem) suffectum, neque tamen cessavisse religiones cf. Dio Cass. LIV, 36.

[4]) Suet. Aug. 31.

[5]) LIII. 17.

VITA SCRIPTORIS.

Constantinus Schwede natus sum Dresdae pridie Kal. Novembr. anni MDCCCLIV patre Adelberto, artifice Petropolitano, matre Anna e gente Cunrady. Fide imbutus sum sum graecocatholica. Cum puer essem VIII fere annorum pater Petropolim reverti constituit, ac familiam praecurrens subita morte correptus est. Quo facto mater Germaniam relinquere noluit. Itaque cum literarum rudimenta percepissem, inde ab anno MDCCCLXIV gymnasium quod Dresdae est ad aedem crucis et Friderico Hultschio rectore etiam nunc floret, frequentavi. Maturitatis testimonio instructus anno MDCCCLXXI Lipsiam, ut philologiae operam navarem, transmigravi et per novem spatia semestria audivi viros clarissimos doctissimosque: Ahrensium, Brockhausium, Curtium, Ecksteinium, Gardthausenium, Langium, Masium, Overbeckium, Ritschelium, Voigtium, Wuttkium, Zarnckium. Societatis antiquariae Langii per duos annos, seminarii archaeologici ab Overbeckio conditi per annum socius fui.

Jam laetissimo animo occasionem arripio, viris his omnibus optime de me meritis gratias agendi quam maximas, inprimis Langio et Overbeckio, qui summa liberalitate studia mea semper adjuverunt.

CORRIGENDA.

In p. 7. v. 15. legendum est: (v. infra p. 17)
In p. 10. v. 25. legendum est: **At** circiter etc.